



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

I. De Angelis, & conditione ac lapsu Angelorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

*IX. De Beneficijs Christi, & de Ad-
plicatione.*

*X. De Cruce & Calamitatibus Ec-
clesiæ.*

I. Locus.

DE ANGELIS.

Angelus bonus est Substantia crea-
ta, spiritualis, condita à Deo ad imagi-
nem ipsius, id est, intelligens, libera &
iusta, quæ non est pars alterius speciei,
& est immortalis, confirmata à Deo,
ut perseveret in donata iusticia, & sit
ministra Ecclesiæ.

PRIMUM autem, Angelos esse Substantias crea-
tas & spirituales docet Psalm. 103. Qui facis Ange-
los tuos Spiritus, & ministros tuos flammam ignis,
id est, Substantias spirituales, incorporeas, lucidas,
quæ διαφανεῖα pulchritudine, puritate, agilitate &
celeritate flammam referunt, ut inquit Chryosto-
mus in panegyrico de Angelis primo, δεῖ τῶν
φῶς, μετὰ δὲ πρῶτον, ὁ ὅτι δὲ φῶς ἢ φῶτων,
λέγεται ὁ ἄγγελος. Dionysius in diuinis nominibus
cap. 4. Angelus est imago Dei, ostensio occultæ lucis,
speculum purum, nitidissimum, incoinquatum, im-
macula-

maculatum, incontaminatum, suscipiens totam puritatem
 chritudinem boniformis diuinae speciei, & sincere
 representans in se ipso, quantum possibile est, eam
 que in abditis habitat bonitatem.

SECUNDO. Omnes Angeli sunt ministri Spiritus
 sancti, qui mittuntur ad ministerium propter eos qui
 sunt futuri heredes salutis. Ebr. 1.

Est igitur officium bonorum Angelorum, seruare
 re Ecclesie, hoc est, Reprimere Diabolos, serentes
 Epicureas aut alias falsas opiniones de Deo, & im-
 pellentes ad omnis generis scelera & calamitates,
 ut Daniel. 10. narrat Angelus se pro Rege Persarum
 cum Diabolo preliatum esse. Item esse nuncios ad
 reuelationes, ut Luc. 1. & 2. Dan. 9. 10. 11. 12. Item, im-
 pedire Tyrannos, & defendere Ecclesiam, Vt 4. Re-
 gum. 6. 19. Et Esai. 37. Exercitus Sennacherib, ob-
 dens Ierosolymam, interficitur. Huc tota Historia
 educationis ex Ægypto pertinet. Item priuatim cus-
 dire singulos pios, urbes, regiones, & defendere
 tam & incolumitatem eorum. Psalm. 33. *Angeli Domini*
castrametabitur Angelus Domini in circuitu timo-
tium eum, & eripiet eos. Matth. 18. Angeli coram
 uident faciem Patris.

TERTIO. Ut omnes homines eiusdem speciei
 sunt, & tamen donis, officijs, & gradibus distincti.
 Sic Angelorum quoque sunt officia diuersa et gradus
 ex quibus diuersa quoque nomina sortiuntur. Vulgo
 nouem Angelorum ordines ex Dionysij de celestibus

ἰσοπαρῆα cap. 7. 8. 9. numerantur, uidelicet Sera-
phim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes,
Principatus, Potestates, Archangeli & Angeli. Et
huc accommodant testimonia Col. 1. Ephe. 1. 1. Pet. 3.
Psal. 103. Sed hæc relinquo.

Studioſi nomina Angelorum, quæ in Scriptura
uſurpantur.

MICHAEL, Quis ſicut Deus. Dan. 10. 12. Apoc. 12.

RAPHAEL, Medicus Dei. Tob: 3. מִרְפָּאֵל

GABRIEL, Fortitudo Dei. Dan 8. 9. Luc. 1. גַּבְרִיֵּאל

4. Eſd. 4. nominatur VRIEL, id eſt, Lux Dei. &

HIEREMIEL, id eſt, ſublimitas Dei.

QVARTO. Omnes Angeli à Deo conditi ſunt
ſine peccato, ut dicitur, Vidit Deus cuncta, quæ fece-
rat, & erant ualde bona. Item Iohan. 8. In ueritate
non ſtetit. Ergo natura ſpirituum ita condita ſuit, ut
uera iuſticia & ſanctitate prædita & rectè ordina-
ta eſſet.

Viſitata autem Eccleſiæ ſententia eſt, Omnes An-
gelos ſimul primo die conditos eſſe, & in cælum
cælorum collocatos, ut Luc. 10. Vidi Sathanam, ut
fulgur, de cælo cadentem. Gen. 1. In principio crea-
uit Deus cælum & terram. Cælum, id eſt, cælum
cælorum habitationem Angelorum, & naturas cæ-
leſtes. Sic enim ueteres interpretantur. Terram, id
eſt, materiam inferioris cæli mobilis ſeu regionis
æthereæ & elementaris. Non eſſe conditos ante cæ-
lum,

lum, inde perspicuum est, quia necesse est eis attribui certum locum in quem sint collocati.

QVINTO. Aliqui Angeli libera uoluntate auertentes se à Deo, lapsi sunt, et æternis pœnis propter peccatum destinati. Iohan. 8. Ille in ueritate non stetit.

2. Pet. 2. Deus Angelis qui peccauerant, non percipit, sed catenis tenebrarum in tartarum tradidit in iudicium.

Luc. 10. Vidi Sathanam, ut fulgur de cælo cadentem.

Iudas, DEVS Angelos qui non conseruauerant originem suam, sed dereliquerant propriam habitationem, custodiuit ad iudicium magnæ diei æterni uinculis in tenebris.

SEXTO. Etsi Scriptura nihil tradit de causa peccati Angelorum, tamen probabilis & communis Ecclesiæ sententia est, eos superbia & ambitione ad peccatum impulsos esse. Quod uidelicet non contenti donis, quæ in creatione ipsis à Deo fuerant, honorem filio Dei debitum adfectarint, sicut primos parentes eadem lue ambitionis infectos, in lapsum præcipitarunt. Et huc congruit dictum, Initium & fons omnis peccati est Superbia.

Bernhardus disputat eos inuidia lapsos esse. Quia egre tulerint Humanam naturam, quam à filio Dei assumendam esse cernebant, sibi anteferrunt.

Et Lactantius lib. 2. cap. 9. itidem scribit inuidia

dentia & liuore eos ad peccandum adductos esse, quod filio Dei ὁμοδοξία & æqualem honorem cum æterno patre inuiderent. Ad quanquam non im-
pie dicitur, tamen multa eo loco recitantur, quæ cum iudicio legenda sunt.

SEPTIMO. Diligenter consideretur Christi concio Ioh. 8. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit, Ideo non est ueritas in eo. Cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur, quia mendax est, et eius rei pater. Duo tribuit diabolo, Quod sit mendax & homicida.

Mendax est, primum Quia immani odio Dei, deprauat & calumniatur uerbum Dei, & serit impias opiniones de Deo, ut initio apud Euam extenuauit authoritatem uerbi Dei, & exemit Eux reuerentiam erga uerbum Dei. Deinde impellit leuia & ambitiosa ingenia, ut in Ecclesia excitent falsa dogmata & hereses. Postea omnium falsarum opinionum in doctrinis, fraudum in gubernatione, artibus, & tota communi uita author est. Est enim mendacium quilibet error & qualibet deceptio ad nocendum comparata.

Deinde est Homicida ab initio, id est, primus occidit homines, & coniecit primos parentes ac totam posteritatem in mortem & tristiss: calamitates. Hic exitia corporum, morbos, sterilitatem, bella, seditiones & omnis generis scelera ac crudelitatem erga Ecclesiam molitur, incitat Tyrannos, ut gra-
I sentur,

sentar, impellit multos, ut ruant cœci & furentes in
tristiss. mala. Deniq; potentia & furor Diaboli hor-
ribiliter grassantis in genere humano, nulla uoce
exponi potest, Sed tota mundi historia intuenta est.
Dementauit homines adeo ut mactationes libero-
rum, & libidines putarunt esse cultus Dei, Et multa
flagitia adeo immania sunt, ut impossibile sit ab ho-
minibus oriri. Sed oremus filium Dei, qui missus est,
ut destruat opera Diaboli, ut nos contra tam multi-
plices Diaboli insidias clementer defendat.

OCTAVO. De formis corporeis Dei & An-
gelorum, in quibus apparuerunt, hoc satis est te-
nere.

Primum. Certiss. est Deum in specie sue essentia,
qua Deus est, nunquam ulli mortali esse conspectum,
ut dicitur Exod. 34. Non poteris uidere faciem me-
am. Non enim uidebit me homo & uiuet. Item Iob. 4.
Deum nemo uidit unquam.

Secundo. Certum est filium Dei primis Parenti-
bus initio dedisse promissionem: Semen mulieris
conteret caput Serpentis, Ac eundem postea cum
Abraham, Moyse & c. collocutum esse, ut dicitur Iob.
han. 1. Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit mo-
bis. Non igitur inconcinna est sententia, Filium Dei
antequam in tempore incarnaretur, se in ea specie
seu Idea futurae sue humane nature Patribus con-
spiciendum præbuisse, ita ut ea species seu Idea esset
expres-

express: similitudo filij Dei incarnandi, & in eo simulachro uere adesset filius Dei. In hac similitudine nature humane locutus est primis Parentibus, Cain, Noah, Abraham & c. Hanc uidit Iacob cum inquit, Vidi Dominum facie ad faciem. Item Moyses dicitur cum Deo collocutus facie ad faciem, quia in illa similitudine se ipsi offerebat.

Tertio. Angelos quoq; in speciebus corporeis hominibus apparere palam est. Sed an uera corpora adsumant, & unde ac quomodo ea accipiant ac iterum deponant, Augustinus uires sue intentionis excedere fatetur.

Quarto. Etsi uarijs formis & prestigijs Diabolus illudit generi humano, tamen ad presentem locum locutum esse, ut clare inquit Iohannes, Serpens antiquus, qui uocatur Diabolus & Satanas, seduxit totum mundum & c. Iohan. 8. Ille homicida erat ab initio, id est, primus. Itaq; serpens tantum actor seu persona Diaboli fuit, per quam locutus est, Cumq; præditus esset Serpens dono calliditatis ad hunc diaboli lusum aptior fuit. Et Eua cum sciret à Deo conditum esse Serpentem, fortasse simul etiam facultatem loquendi diuinitus ipsi attributam fuisse putauit.

Inuoluuntur autem ista tam obscure, ut reseruentur Spiritui Christi illustranda, qui cum in Prophetis fuerit, non dubium est eos has narrationes

et intellexisse, et Ecclesie perspicuam doctrinam de his materijs tradidisse.

Illud etiam dignum consideratione est, quod Plutarchus scribit in uita Cleomenis, ex Bobus putrefactis apes, ex equis uestras, ex asinis Scarabeos, ex hominibus uero putrefactis, Serpentes nasci. Cum enim serpens initio uirus suum homini adflauerit, ex eo contagio serpentes postea nascuntur.

II. Locus.

DE CAUSA PECCATI, calamitatum, et mortis humanae.

Philosophi propinquas et minus principales malorum humanorum causas utcumque cernunt, uident licet Errores mentis in iudicando, et prauas cupiditates iudicio mentis repugnantes, id dicitur $\eta\gamma\alpha\rho\iota\sigma\tau\iota\sigma\kappa$ $\delta\epsilon$ $\kappa\alpha\iota$ $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\omega\pi$ $\epsilon\pi\iota\theta\upsilon\mu\iota\alpha$ $\delta\epsilon\iota$. Malorum omnium origo est cupiditas. Deinde mortis humanae, morborum et ceterorum $\alpha\upsilon\tau\omicron\mu\acute{\alpha}\tau\omega\pi$ causas in materiae fluxibilitate et astrorum positu collocant. Sed radicem omnium malorum et causam principalem sola Ecclesiae doctrina in hoc tertio Capite Genes. proponit.

PRIMUM autem haec sententia firmissime retinenda est, Deum non esse causam peccatorum, nec uelle,